



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exhortationes|| Ad|| Religiosos

Dirckinck, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1704

3. Religiosus 8. Moritur confidentiùs, 9. Remuneratur copiosiùs. Thema.
Confitebor tibi Domine in toto corde meo. Psal. 110.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51834)

EXHORTATIO III.

DE DUOBUS ULTIMIS BENEFICIIS IN STATU RELIGIOSO NOBIS COLLATIS,

Religiosus moritur confidentius, remuneratur copiosius.

Tanquam efficacibus motivis, gratitudinis, æstimationis, & observantiæ Regularis.

T H E M A.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo. Psal. 110. 1.



Ant. Chryso-
stomus in prædi-
cta Psalms ver-
ba scribens :
Confessionem, in-
quit, hic mihi
videtur (Pro-
pheta Regius)

dicere gratiarum actionem. Laudabo,
ait, gratias agam : totam enim vitam
in hoc consumpsit, ab hoc exorditur, &
in hoc desinit. Et Deus nihil aquè atque
hoc postulat. Hoc est sacrificium, hoc ob-
latio, hoc est pii & grati animi signum,
hoc vulnus inferi diabolo. Prophetam
imitari decet nos Religiosos, qui tam
excellentibus, præ mundanis, à Deo
beneficiis cumulati sumus : quod si
negligamus, sanè ipsis brutis animan-
tibus deteriores sumus. Draco juve-
nem, à quo educatus fuerat, à latroni-
bus defendit Patris in Achaia. Ut

refert Ælianus L. 13. Leo servum An-
drodum, qui sibi spinam extraxerat,
diu Romæ aluit, & eidem in theatro
non nocuit, sed blanditus est, ut nar-
rat Gellius L. 5. c. 14. Aquila à ser-
pente implicata, à messore liberata, ei
poculum venenatum è manibus ex-
cussit. Causs. Pol. 6. 22. Alia aquila
Virgini altriciduz, aves alióque ve-
natus ingessit, & in mortuæ rogam se
injecit ibid. Ciconia, Heraclæi femi-
næ, quæ illi vulnus obligaverat, præ-
stantem lapidem in sinum demisit,
ibid. 40. S. Macarius Alexandrinus
visum reddiderat duabus parvis lieni-
nibus cæcis, earum mater attulit al-
tero die viro sancto pellem ovis, ut nar-
rat Palladius in histor. Lausiac. c. 20.
scædum igitur est Religiosos à bestiis
superari, & ingratos sese pro majori-
bus, præstantioribusque beneficiis,
Deo exhibere. Quare gemina benefi-
cia

ficia Statûs Religiosi, à S. Bernardo ultimo loco recentita, sed longè maxima consideremus: scilicet Religiosus moritur confidentius, & premiatur copiosius, ut nos gratos & ætimatione tantorum beneficiorum, & Regularum observantiâ exhibeamus.

VIII
Moritur
confiden-
tius.

I. Octavum beneficium, à liberalitate divina Religiosis probis præstari solitum est: *Moris confidentius*. Obiunt enim diem suum, spe & fiducia pleni.

1. Ob bona opera facta. Quid est vita omnis Religiosorum, nisi catena bonorum operum? percurrere diem ab ortu solis ad occasum, & nil nisi orationem, meditationem, studia, laboresque pro Deo & animarum salute susceptos reperies; quibus peractis, tandem, post mortem tanquam navis pretiosis onusta mercibus cœlestis patriæ portum feliciter ingreditur. Rectè enim Job c. 5. 26. de talibus ait: *Ingradies in abundantia sepulchrum; sicut infertur acervus tritici in tempore suo*. Cui consentit S. Hieronymus Epist. 34. *Felix, inquit, & omni dignus beatitudine, quem senectus Christo occupat servientem: quem extrema dies invenit, Christo militantem Salvatori: qui non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta; cui in introitu paradisi dicitur: recepisti mala in vitæ tua: nunc autem hic latere.*

2. Ob mala opera omissa. *Timentis Dominum bene eris in extremis, & in die defunctiõis suæ benedicetur*. Eccli. c. 1. In illa enim hora, bene illi erit, quia sæculum fugit, quia scelera graviora declinavit, aut si quæ in sæculo

admisit, totius vitæ homogenei expiavit. Bene illi erit: quia negotiorum suarum rationibus non implicatur, quia mundi aut diaboli retibus non constringitur, nec carnalibus concupiscentiis detinetur. Ac proinde securè & confidenter diem suum obiit, S. Bernardus ad mil. templ. c. 1. *O vita, exclamat, secura ubi pura conscientia! O inquam vita secura, ubi absque formidine mors expectatur, imò & exoptatur cum dulcedine, & excipitur cum devotione!*

3. Ob auxilia Fratrum. Quanto enim est solatio, Viro Religioso, in corona Fratrum, amicorum Dei & filiorum dilectissimorum, fide magnâ & fiducia orantium, Dei opem implorantium ac consolantium, vitam suam claudere? certè ex historiis fide dignis constat, Dæmones cateroquin calcaneo vel maxime insidiantes, Fratribus piè orantibus, infirmorum lectulo appropinquare non audent. Proverb. 18. *Frater, qui adjuvat à fratre, quasi civitas firma: Quæ à pluribus melius contra hostes defenditur, quàm ab uno: ut rectè notat S. Leo serm. de jejun. sept. mens. Ecclesiasticus miles, ait, etiam si specialibus preliis possit fortiter facere: tutius tamen dimicabit, ubi non suis tantum viribus certamen ineas: minore enim discrimine multi configunt cum hoste, quàm singuli: nec tam facile patet vulnus locus, quem opposito scuto fidei, non sua tantum, sed etiam aliorum fortitudo defendit, ut ubi una omnium est causa, sit una victoria.*

Contrà sæcularis juxta mundi leges

in peccatis vivens, moritur desperatius.
 1. Ob peccata commissa: quæ eum
 in hora mortis ceu hostes capitales, tan-
 quam leones & tigrides, circumdant,
 accerant: & interore atque angustia
 replent. Ut expertus est impius Rex
 Antiochus, qui dicebat: In quantam
 tribulationem deveni! & in quos fluctus
 tristitia in qua nunc sum; qui iucundus e-
 rat & dilectus in potestate mea; nunc verd
 remissor malorum, quæ feci in Jerusalem;
 cogitavi ergo quia propterea invenerunt me
 mala, & ecce perego tristiti à magnâ in terra
 aliena. 1. Mach. 6. 12. Quare rectè mo-
 net S. Gregorius hom. 39. in Evango.
 Cogitandum nobis, quantum erit terribilis
 hora nostra resolutionis; qui pavor mentis;
 quanta tunc malorum memoria: que oblivio
 transiitæ felicitatis: tunc maligni spiritus,
 egredientis animâ, sua opera requirunt;
 tunc mala, quæ fuerunt, replicant; ut so-
 ciam ad tormenta trahant.

2. Ob bona omissa. Quoties enim,
 peccata & sacra intermisit? Quoties je-
 junia statuta violavit? Quoties elemosy-
 nas egentibus denegavit? Quoties in
 convivio & luxum fastumque im-
 pendit, quo esurientes pascere, infirmos
 refocillare, nudos amicare valuisset. Sed
 nunc instante abitis, obitusque horâ:
 Mane, Thecel, Phare, numeravit Deus reg-
 num tuum, & complevit illud: appensus es
 in scelerâ, & inventus es minus habens.
 Dan. 5. O quo dolore tot meritorum
 occasiones & quasi aurifodinas, à se ne-
 glectas fuisse deplorabit! nec sese do-
 missis operibus bonis, purgare poterit?
 Nam ut ait S. Chrysostomus hom. 10.
 in Epist. ad Ephes. Nihil boni facere, hoc
 est mala facere. Dicat enim velim, si famu-

lum haberes, qui non furaretur, non convi-
 tiaretur, nec quicquam mali faceret; sederet
 tamen tota die otiosus, non flagellares illum.

3. Ob Judicis metum. Et quis non
 timeat Deum omnipotentem, justum
 & terribilem in consiliis super filios ho-
 minum? Quis non timeat Judicem;
 quem sæpius gravissimè offendit; nec
 placavit? Quis non trepideret ad conspe-
 ctum illius, qui omnes machinationes
 malignas plene cognoscit, & nihil im-
 punitum relinquit? Quis impiorum,
 non reformidet ac tremat ad intuitum
 illius, coram quo etiam columnæ cæli
 contremiscunt? Et sanè: si justus vix sal-
 vabitur; impius & peccator ubi parebunt?
 1. Petri 4. Rectè S. Hieronymus in E-
 pist. ad Titum: Sicut impietas magni Dei
 reformidat adventum; ita securâ de opere
 suo pietas illum prestolatur.

II. Nontum denique beneficium, &
 reliquorum coronis, ac bravium, Religi-
 oisæ vitæ à Deo promissum, est: Remu-
 neratur copiosius?

IX.
 Remunera-
 tur co-
 piosius.

1. Ob vota religiosa. Quanta enim
 præmia Salvator noster Religiosis ore
 suo sacrosancto promittere dignatus
 est, omnia relinquentibus? Et quibus-
 nam aliis similia spondit? Matth. 19.
 Omnis, qui reliquerit domum vel fratres aut
 sorores, aut Patrem, aut Matrem, aut
 uxorem, aut Filios, aut agros propter nomen
 meum, centuplum accipiet, & vitam æter-
 nam possidebit. In quæ verba S. Bernardus
 ferm. Ecce nos reliquimus. Hæc, ait,
 sunt verba, quæ contemptum mundi in u-
 niverso mundo; & voluntariam paupertas-
 tem hominibus persuasere. Hæc sunt, quæ
 Monachis claustra replent; deserta anachor-
 retis: hæc, inquam, sunt verba quæ Regi pro-

Qqqq tum



tum spoliant, & optima quaque ejus vasa diripiunt. Illic sermo virus & efficax, convertens animas felici emulatione sanctitatis, & veritatis promissione fideli.

2. Ob victoriam illustrem de debellato mundo, carne, & Diabolo. Qui vicerit, dabo ei edere de ligno vite. Qui vicerit, dabo ei calculum candidum, scilicet æternæ beatitudinis: Qui vicerit; faciat illum columnam in templo Dei mei: ait S. Joannes in Apocalypsi. Hæc sunt præmia & coronæ Religiosorum generosè certantium, victoriæque de hostibus suis reportantium; & cum Apostolo gloriantium: Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; de reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus: in illa die justus Judex, non solum autem mihi; sed & iis, qui diligunt adventum ejus. 2. Tim. 4. Augustinus L. 2. Conf. c. 13. Posthac dedit mihi Deus gratiam promerendi bona vite æterna quam in tribus maxime partibus arbitror: in odio præteritorum malorum; in contemptu presentium bonorum; in desiderio futurorum.

3. Ob imitationem Christi. Qui sequitur me non ambulat in tenebris; sed habebit lumen vite. Joan. 8. Et Matth. 19. Vos qui reliquistis omnia & secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in Sede Majestatis sue, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël. S. Gregorius L. 26. Moral. c. 20. Qui præcepta legis perfectione virtutum transcendunt; hi in extremo judicio non judicantur, quia cum Authore suo etiam judices veniunt: relinquentes quippe omnia, pius promptè devotione executi sunt, quam juberi generaliter audiverunt.

Contrà, secularis, mundi principium se conformans, & in sceleribus vicium finiens torquetur copiosius.

1. Ob agnitam & non servatam viam justitiæ. Lucæ 12. Servus qui agnoscit voluntatem Domini sui & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis. Venerabilis Beda in c. 12. Lucæ. Majori gratiâ donatos, si deliquerint, major vindicta sequetur.

2. Ob neglecta Dei dona. Matth. 23. Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida; quia si in Tyro & Sidone facta essent virtutes, quæ facta sunt in vobis, olim in iis locis & civitate penitentiam egissent. Audient enim iudicis exprobrationem: Ecce neque, quare non dedisti ad mensam pecuniam & talenta tibi tradita ad negotiandum? auferre ab isto namsam. Habenti enim dabitur, & non habenti, etiam quod habet, auferetur ab eo, & in utilem servum projiciet in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridentium. Matth. 25. Cur autem horredum illud vix, prædictis civitatibus intentat benignissimus Salvator? Rationem reddit S. Hieronymus ibidem: Illic ideo est, quia Tyros & Sidon naturalem tantum legem calcaverunt; ista vero civitates, post transgressionem naturalis legis & scriptæ, etiam signa, quæ apud eos facta sunt, parvi duxerunt.

3. Ob Diaboli imitationem. Matth. 25. Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus. Qui enim facit peccatum ex Diabolo est. 1. Joan. 3. 8. Sicut qui facit justitiam, justus est, & ex Deo natus; ita et adverso, qui facit peccatum, inquitur est, & natus ex Diabolo, quia ejus actiones & suggestiones sequitur. Efferat Diabolus.

Diabolo, esse imitari Diabolum, ait S. Augustinus. Cum ergo peccator, in mundo degens Diabolum imitetur, ejus opera patrando: *Quoniam Diabolus ab iniuria peccat. l. c.* est quasi de ejus regno, prosapia & familia: eumque sequitur ac imitatur ceu filius Patrem. Quid igitur miri, si cum eodem dirius abundantiusque in carcere infernali torqueatur?

Quæ cum ita sint, ut ex divinis literis, sanctorumque Patrum voluminibus comprobavimus, Charissimi, si quem vestrum Dæmonis astutia tentaverit, & saculi voluptates oculis mentis objecerit; beneficia ista sanè maxima perpendite, & omnes mundi illecebras, ut fluxas, ut vanas, ut puerorum crepundias deridebitis. Si quis vestrum, quod absit, in vocatione sua religiosa vacillaverit, aut retrò respicere cœperit; dicta beneficia seriò meditetur; & damna ac pericula iis contraria consideret, & fluctuantem animum instar fœni continebunt, ne cespitet; instar fulcri fir-

mabunt, ne corruat. Deinde agnoscite quanta sint ista munera, quæ in vos benignitas divina contulit; quanta damna, quantaque discrimina, à quibus vos misericordia Dei infinita liberavit; & gratias, quas potestis, maximas reddite; magno perfectionis desiderio. ingenti vocationis amore atque æstimatione, exactaque Regularum observatione, tantos Dei favores compensare studete. Quæ si præstiteritis; non solum meritis *mini confidentis*, sed & *remunerabimini copiosius*; ea enim beatitudinis æternæ præmia, ea cœlestis Paradisi gaudia, ea Sanctorum oblectamenta referetis; quæ in hoc mundo nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descenderunt. Quod nobis omnibus largiatur Deus Pater, & Filius & Spiritus Sanctus.

Amen.

F I N I S.

Primæ Partis.

